



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt I. Paupertas, ob quas cassas, hominibus odiosa, atq[ue] execrabilis
videatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

QVA IVDICIORVM SVORVM VEL
CLEMENTIA, VEL IVSTITIA, DEVS PAV-
PERTATEM, FAMEM, INFAMIAM, MVTLATIO-
NES, ET BELLVM, OMNIVM HORVM MALORVM COMPEN-
DIVM, DENIQVE MORBOS, MORTESQVE ET TENTATIONES
VARIAS HOMINIBVS, IN HAC VITA,
IMMITTAT?

C A P V T I.

*Paupertas, ob quas causas, hominibus odiosa atque execrabilis
esse videatur?*

DVÆ res, maximè inter se diuersæ, humanam vitam
exercent, Copia & Inopia. Habent enim alij mul-
tum, alij parum, aliqui etiam omnino nihil, in hoc
Mundo. Quæ varietas illi ascribenda est, qui regit
Vniuersum. Ut enim paterfamilias, ea quæ in domo sunt, ita,
quæcumque in Mundo sunt, Deus distribuit. Ille, quia *Dominus uni-*
uersorum est, cui vult ea, dat ea: *Dominus pauperem facit, & ditat.*
Omnes in verbo Dei concordat; & diuitem, & pauperem Deus fecit.
ait S. Augustinus, *scriptura loquitur: Dives & pauper occurrerunt*
sibi, fecit autem ambos Dominus. Dives & pauper occurrerunt sibi. In
qua via, nisi in ista vita? Natus est dives, natus est pauper. Pares na-
tura, dispares fortuna. Copiam vni, inopiam alteri destinavit.
Itaque *paupertas, & honestas à Deo sunt.* Sed non perinde ab homi-
nibus æstimantur. Qui diuitijs affluunt, facilè agnoscunt, se be-
neficio affectos esse; difficiliùs credunt se à Superis amari, qui pre-
muntur egestate. Hinc citò titubant; hinc queruntur; hinc non-
numquam etiam iudicant, malè iudicare, in terris, supremum re-
rum Moderatorem, vt qui iniustis det opes, iustis auferat; probos
egere, mendicare, circumueniri, spoliari, omnibus fortunis exui;
improbos gaudere, pinguescere, cumulare aurum atque argen-
tum, & in omnium rerum optabilium abundantia viuere patiatur.
Denique *diuites*, non secus atque *diuos* aspiciunt, & appellant;
pauperes infelices arbitrantur. Vnde Germani, eodem vocabulo,
pauperes, & miseris afficiunt. Quamuis enim non ignorent, pluri-
mos.

I.

1. Reg. 2. 7.
S. Aug. serm.
205. de temp.

Eccli. 11. 14.

A

mos.

mos esse *miseros*, qui *pauperes* non sint, nullum tamen vulgò *pauperem* esse posse existimant, qui non sit idem & *miser*.

II.
Plaut. in Stichos,

Vtrumque hoc affirmatè pronunciauit Comicus, cuius hæc est sententia : *Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt : si res lasse labant, iidem amici collabascunt. Res amicos inuenit. Quanta igitur felicitas est in amicis sita ; tanta miseria, amicis carere, qui tempore necessitatis succurrant.*

*Argentum, & anima, & sanguis est mortalibus :
Quo qui caret, nec hoc sibi cantus parat,
Viuos is inter mortuus homo obambulat.*

Eandem cantilenam cantat Menander in his versibus.

*Ego utiles verò Deos esse arbitror
Nostros, & Argentum, & Aurum maximè.
Istos quidem si dedices tua in domo,
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,
Ager, domus, seruiq, & argyromata,
Tèstes, amici, iudices : tantum dato.*

Adeò potentes faciunt nummi, &, vt Aristoteles ait, *omnia vanalia nummus*. Nimirum, sicut vbique ferè *in pretio pretium est* ; ita vicissim miserima res est, nihil posse, cum velis posse. Enimuerò quemadmodum homines, quæ volunt splendere, inaurant, ita

Horat. lib. 2.
serm. 5.

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algæ est.

Quanti sanguinis vidimus viros despectos, postquam aurum perdidierunt ? Cræsos, non Codros populus adorat. Quàm præclaras experimur virtutes, sub scissili palliastro, delituisse ? Quot viuacissima ingenia neglecta sepeliuntur, quæ excitata fuissent, splendissentque, si habuissent Mæcænatés ? Quàm irroborata est opinio, vt ferè vnusquisque tanti fiat, quantum habet. Clarè illud expressit Iuuenalis, cum diceret :

*Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet, & fidei,*

Vsq, adeò calamitosus est inops, vt, cum careat, vnde se alat, ne fidem quoque habeat, vnde acquirat.

III.
Psal. 30. 11.

Sed relinquamus Poëtas, consulamus Prophetas, quorum vnus ait : *Infirmata est in paupertate virtus mea*. Nam super alias afflictiones accessit, vt propter inopiam vires pristinas amiserit.

Idem.

Idem enim est, *virtus mea, quod ossa mea conturbata sunt; per ossa* 1. Reg. 35. 16
 siquidem, robur intelligimus, quod Davidem defecit, quando sine & 17.
 ullo com meatu fugit, & ad loca deserta se recepit, non solum pe-
 dibus, sed etiam nudis pedibus iter faciens. Quid si etiam ait, *in-*
firmata est, in paupertate virtus mea, quia animi quoque robur qua-
 titur saepe impatientia paupertatis? Atrox est enim, etiam teste
 Iobo, poena, si reges *vinciantur funibus paupertatis,* propter scelera
 videlicet sua, *quia violenti fuerunt.* Quanto maior ærumna cense-
 bitur, si in paupertatem incidant innocentes? Qua de causa ipsum
 Iobum, cum *possessio eius creuisset in terra,* eumque Tartareus hostis
 vellet facere impatientem, dixit ad Deum: *Extende paululum ma-*
num tuam, & tange cuncta, qua possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.
 Neque sanè parum fuit, vna vice, & boum armenta, & asinarum
 cateruas, & ouium greges, & camelorum turmas, cum pueris &
 seruis ei auferri. Menippus Phœnix, sectâ Cynicus, cum habendi
 cupidissimus esset, amissis bonis, laqueo vitam finiuit, vt de eo te-
 statur Laërtius. Et longè celebrior Philosophus Zeno, cum saepe
 nescio quem contemptum diuitiarum præ se ferret, Antigonus rex
 ei falsò fecit nunciari, *Prædia illius ab hostibus esse direpta;* eo nuncio
 ita percussus est, vt in magnam tristitiam ostenderet se incidisse.
 Quod non mirum est accidisse Ethnicis, cum in Iudæa, vbi notus
 erat Deus, paupertas maledictionis loco fuerit iudicata. *Tunc tem-*
porum, ait Gabriel, *paupertas pro maledictione, & diuitiarum abun-*
dantia pro benedictione erat. Hoc innuit Propheta dicens: *Beatum di-*
xerunt, cui hac sunt. Et Abulensis: *Iudai, inquit, putabant, quòd*
Messias redimeret eos, à temporali seruitute, & deduxisset regno Israël,
ad prosperitatem maiorem temporalem, quàm fuerat sub David, & Sa-
lomone, & ceteris regibus. Propter quod plurimi Iudaorum non rece-
perunt Iesum in Messiam; quia non liberavit aliquid de temporali regno;
& ista erat quasi communis intentio omnium Iudaorum, tempore Chri-
sti. Eadem mens est alijs plerisque, ex cortice de nucleo, ex veste
de animo iudicant. Hinc illud Calphurnius lamentum edidit:

O utinam nobis non rustica vestis inesses,
Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,
Nudaq; paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerant.

A 2

Plures

1. Reg. 35. 16
& 17.

Iob. 36. 23

Iob. 1. 10

Briton. lib. 2.
cap. 26.

Gabr. in sup-
plem. ad dist.
30. q. 2. Con-
clus. 4.
Plal. 143.
Abulens.
tom. 1. in
Matth. q. 43
in cap. 16

Calphurn.
Eelog. 7.

IV.

Plures sunt causæ, cur paupertas mala censeatur, non enim tantum amicis caret, qui nummis caret, ; non tantum destituitur necessarijs rebus ad vitam sustentandam; nec tantum despicitur; aut odiosos facit; sed etiam alijs malis obruitur, ob quæ merito despici videtur. Nam paupertas causa est malæ educationis liberorum. Paupertas est multorum grauium criminum occasio. Paupertas ipsas virtutes facit steriles. Paupertas reddit homines hominibus ob furta, & latrocinia abominandos. Paupertas homines ad blasphemandum impellit, & adigit ad laqueum atque extremam desperationem. 1. Quod amicis careat pauper, Salomon docuit illis verbis: *Diuitia addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.* Quod Poëta ita expressit,

Prov. 19. 4. 5.

mon docuit illis verbis: Diuitia addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi, quos habuit, separantur. Quod Poëta ita expressit,

Cum fueris felix, multos numerabis amicos:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Prou. 14. 20.

Quin vt idem Salomon dixit: *Fratres hominis pauperis, oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.* 2. Quod rebus necessarijs careat, idem testatur. *Redemptio animæ viri, diuitia sue: qui autem pauper est, increpationem non sustinet,* nihil potest militi importunè petenti, obspire; nullo munusculo lenire ferocientem exactorem; non se à seruitute, non à vinculis captus, non à tyrannide liberare oppressus. 3. Hoc ipso, quia pauper amicis caret, despicitur, & ita inops est, vt ope careat etiam aliena: Hinc illud:

Prou. 13. 8.

Redemptio animæ viri, diuitia sue: qui autem pauper est, increpationem non sustinet, nihil potest militi importunè petenti, obspire; nullo munusculo lenire ferocientem exactorem; non se à seruitute, non à vinculis captus, non à tyrannide liberare oppressus. 3. Hoc ipso, quia pauper amicis caret, despicitur, & ita inops est, vt ope careat etiam aliena: Hinc illud:

Martial.

Pauper eris semper, si pauper es, Emiliane:

Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Et alterius Poëtæ.

Ouid. lib. 1.

In pretio pretium nunc est: dat census honores,

Fast.

Census amicitias, pauper ubiq, iacet.

Iuuenal. Sa-

Denique

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat

tyr. 3.

Res angusta domi.

V.

4. Paupertas idcirco est malæ educationis causa, quia deest didacticum, quod detur magistris dicentibus:

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo:

Plutarch. in
Aristidis &
Catonis
comp.

deest peculium, quod detur pædagogis, frustra non seruientibus, deest argentum, quod detur opificia docentibus. Hinc, teste Plutarcho, Aristidis Atheniensis indigna paupertas, liberos eius partim ad

tim ad

tim ad stipem publicè accipiendam adegit, ob inopiam, manus porrigere: partim redegit ad tabulas præstigiatrices; nulli verò facultatem rei vilius præclaræ, aut ipsius dignitati convenientis gerendæ permisit. 5. Certè sæpenumerò dira egestas, ad quædam indecora, immò nefanda homines agenda, vel patienda impulit. Egestas multos eò adduxit, vt furta committerent, vt rapinas exercerent, vt latrocinia patrarent. 6. Egestas constantiam labefactavit, fortitudinem fregit; prudentiam seduxit, iustitiam vendidit; seditiones mouit; prodiciones promouit; innocentia scopolus, sanctitatis naufragium fuit, & ruina virtutum. Atq; hoc etiam sensu Propheta dixit: *Infirmata est in paupertate virtus mea.* S. Hieronymus legit: *Infirmata est in iniquitate virtus mea,* ac si idem sit dira egestas, & iniquitas. *Aliquid quotidie,* inquit ad Lucilium Seneca, *aduersus paupertatem auxiliij compara, nec minus aduersus ceteras pestes.* Seneca igitur inter pestes est paupertas, & quia virtutum robur tollit, eneruatque vires pectoris generosi, cuius vigor, vt in Iob legimus, sit *inopia & fame sterilis;* & quia pessimas inducit in hominum mentem dispositiones, quæ quasi tempestas sunt vitiorum. Ita enim Ieremias loquitur: *Pellis nostra quasi cli-* *banus exusta est à facie tempestatum famis.* Varias enim fames excitat tempestates, vnde boni mores, & bonæ artes, & bonæ virtutes naufragium patiuntur. Itaque sapientes diram egestatem, quasi *iniquitatem, pestem, tempestatem* censuerunt fugiendam: *vt dum mater criminum necessitas tollitur, peccandi ambitio auferatur;* ait Cassiodorus. Quin, teste S. Chrysologo, ipse *esuriit Christus, vt tentandi materiam diabolus inueniret.* Quare non sine causa orauit regius Psaltes: *De necessitatibus meis erue me.* Et Manasses coniux Iudithæ illi sufficientem censum reliquit, ne egestate oppressa ad illicita traheretur, inopiaque illi esset occasio ruina. Quia, vt Cicero sensit, *omnes qui in paupertate sunt, malunt maleficio, quam officio parare diuitias.* Et Philosophus existimat *fieri non posse, vt indigens operetur bona.* Certè alibi ait: *Impossibile est, indigentem bene principari, & studio vacare.* Saltem hoc incommodi habet pauper, quòd non possit egentibus subuenire, neque exercere liberalitatem, quæ apud inopes nimis paruo centro & spatio est circumscripta.

Atque vt vnum alterumque exemplum afferam, in quo ap-

Joan. 2
Luc. 2. q. 1

Psal. 30. 12

Senec. ep. 12

Iob. 30. 3

Thren. 5. 10

Cassiodor.

lib. 9. ep. 13

S. Pet. Chry.

sol. serm. 11

Psal. 24.

Iudith. 8. 7.

Cic. ad He-

renn.

Aristot. lib. 1.

Ethic.

Idem lib. 2.

Politico.

VI.



Cap. I. Cur odiosa sit paupertas?

S. Ambros.
in ep. S. Pauli.

Xiphilin. in
vita Seueri.

paret, quid in vitijs possit paupertas, de iuris violatione, ita pronunciat D. Ambrosius: *Sicut diuitia negligentiam pariunt salutis; ita egestas dum saturari querit, a iustitia declinat.* Si enim exossis, vt in prouerbio est, suum ipse rodit pedem, quantum auidius inuadet alienum? Quare, vt inopiam mutaret in abundantiam, teste Xiphilino, Bulas cepit, infestissimis armis, per Italiam grassari, factusque est, sub Seuero Imperatore, famosissimus latro. Siquidem comparata sexcentorum sicariorum manu, per totum biennium, maximas praedas fecit. Hic cum Centurionem vitae suae infidiatorem cepisset, raso eum capite ad Seuerum Imperatorem remisit, cumque interrogaretur, quid Imperatori vellet nunciari? *Iube*, inquebat, *dominos tuos ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur.* Habebat enim Bulas multos apud se Caesareanos, partim exigua mercede, partim nullo certo stipendio conductos, qui se numquam ad latrocinandum contulissent, si Caesar debito stipendio periboluto, eos ipse aluisset. Itaque quos stipendij spes fecerat milites, illos salario subducto inopia fecit latrones. Quales hodieque multi non solum proscripti, verum etiam ob alimenti penuriam profugi inueniuntur, qui malunt sub latronum duce stipendijs expleri, quam ibi milites ararij esse, vbi neque aes, neque argentum; neque commeatus vllus habetur. Quamobrem idem Bulas, cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano praefecto praetorio interrogatus, cur latrocinium fecisset? respondit: *Et tu dic, cur Praefectus sis? Erat nimirum Papinianus homo praediues, & magna apud Caesarem existimationis, ac propter opum suarum splendorem in aulam admissus, Bulas vero penuria rerumq; egestate vexatus, latrocinio victum querere cogebatur.* Quare sicut canes fame ad rabiem adiguntur; ita homines inopia sic facit efferatos, vt obuios quosque, spolijs causa, quantumuis innocentes inuadant.

VII.

Thren. 3. 1.
ib. v. 19.

Innocent. de
vilitate con-
dit. huma-
na.

Ærumnas ex inopia natas quis non deplorauit? Ieremias, cum lamentari vellet, dicebat: *Ego vir videns paupertatem meam; iteraque: Recordare paupertatis & transgressionis meae, absinthij & fellis.* Et regum sapientissimus: *Omnes dies pauperis mali.* Innocentij verba sunt: *Omiserabilis conditio mendicantis! si petit, pudore confunditur; si non petit, egestate consumitur; & vt mendicet, necessitate compellitur. Deum causatur iniquus, quod non recte diuidit; proxi-*

mus criminatur malignus, quòd non plenè subueniat, indignatur, murmurat, imprecatur: Vnde Salomon: Melius est mori, quàm indigere. Et, si profanas audire voces libet, ait ille:

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri viuunt. Praesertim quibus nec quaestus est, nec didicere artem ullam.

Plaut. in Rud.

Et alius: *Heu me miserum, perij malè perditus, pessimè ornatus eo. Tantum gemiti, & mala molestia hic dies mihi obtulit, famem & pauperiem.*

Apud eundè
Euclio in Au-
lularia,

Perditissimus ego sum omnium in terra.

*Nam quid mihi opus vita est, qui tantum auri
Perdidi, quod custodiri sedulo? egomet me fraudauit,
Animumq; meum, geniumq; meum, nunc eo alij
Latificantur, meo malo & damno: pati nequeo.*

Quàm multos audiuius, amisso marsupio, ad laqueum cucurrisse? Adeò restim quàm inopiam pati maluerunt.

Atque vt diuinum oraculum audias: *Nequissima paupertas in ore impij.* Quod multa exempla confirmant, vno hic, sed valde luculento rem demonstrabimus, quod Bartholomæus Bononiensis in hunc ferè modum recenset. *Antonius Vrcens Codrus, Grammaticus celebris, Forolinij cubiculum habebat, in penitiore palatij parte, varijs quidem ornatum picturis, sed adeò in prima diei parte obscurum, vt nisi lucerna beneficio, ne parietes quidem ipsos discernere posset. Vtebatur itaque lucerna fictili, rara pulchritudinis; in cuius summitate calatum erat: STVDIA LYCERNAM OLENTIA OPTIME OLENT. Hanc cum domi inextinctam reliquisset, incendiij causam fuisse creditum est.*

VIII.
Eccli. 13. 30.

Barthol. Bo-
non. in vita
Antonij Vr-
cci Codri,

Nam matutino tempore, cum negotij causa in forum se contulisset, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus est. Perijt liber ab eo compositus, qui inscribatur Pastor: perière & reliqua eius bona. Fama est, ad primum incendiij nuncium tantam animo imbibisse iram, vt exclamans veluti furore quodam concitus, ad regiam usq; praecipiti gradu ire pergeret, pro foribusq; cubiculi astans (neq; enim ob incendium ingredi licebat) Quodnam ego, inquit, tantum scelus concepi, Christe; quem ego tuorum vniquam lasi, vt ita inexpiabili in me odio debaccheris? Conuersus postmodum ad simulachrum Virginis: Audi Virgo, ait, ea, qua tibi mentis compos, & ex animo dicam: Si fortè cum ad vltimum vita sinem peruenero supplex accedam ad te opem ora-

tum.

tum, ne me audias, neque inter tuos accipias, oro; cum infernis dijs in aeternum agere decrevisi. Qui aderant, verbis quidem, quod poterant, ipsius iram lenire conabantur: sed clausa erant aures, obstrepente ira: qua adeo oppressit hominem, ut obiurgatis prius amicis omnibus, si se sequerentur, extra portam egrederetur, nec ante imposuerit frenos amenti gradui, quam in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Nocturnam urbem petens, eum portas offendisset clausas, in finis aceruo prostratus, lucem expectavit. Mane vero urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstruxit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit, plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonne ergo grande malum est paupertas? Et tamen, ut initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, ut verius dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

CAPVT. II.

Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.

I.
Jerem. 12. 1.

Magnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hæc plaga icti superos querelis suis percusserunt, quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectius æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prauaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserrunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cum ait: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc stetitis: quia ridebitis, &c. Veruntamen ve vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Numquid enim hæc sufficiens est causa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mauult esse Lazarus, quam epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in celo, boni*

Luc. 6. 21.